

aliquas litteras nos dare, et easdem nostris fidelibus Sibenicensibus destinare contingeret, ut iidem Sibenicenses ex serie talium litterarumstrarum se grauari sentirent, earundem executionem tamdiu differre habeant, quousque ipsi nostram maiestatem de mera rei veritate et dicti negotij certitudine, in quo eodem littere non stre iuri et libertati ipsorum preiudicium generare et aggrauamen inferre videntur, per nuncios seu litteras ipsorum speciales potuerint loculente nostram informare Maiestatem, quorum informatione percepta, nos tandem in premissis id facere queamus, quod nostre de iure conuenire videbitur Serenitati. Datum Jadre, quinta die mensis Nouembris, anno Domini MCCCLXXX tertio.

(*L. S. in forma Crucis acuatae, cui inscriptum: deliberatio Baronum.*)

Ex originali in coll. Nic. Janković. — G. Fejér. Codex Dipl. R. H. T. 10. vol. 3. pag. 1—2.

CIX.

Anno 1383. die 5. Novembris. Jadrae.

Eadem Elisabetha Sibenicenses a Vlahis defendi praecipit.

Elisabeth Dei gratia Regina Hungariae, Poloniae, Dalmacie etc. fidei suo, magnifico viro Domino Emerico Bubek, regnorum nostrorum Dalmatie et Croatiae Bano, et eius vicesgerentibus, salutem et gratiam. Ex graui querela fidelium nostrorum nobilium virorum, scilicet Thome, Dominici et Johannis Naplavigh, ambassiatorum civitatis nostre Sibenicensis, noveritis nos percepisse, qualiter Olahi tam nostri, quam Joannis filii Ivan Nyelpecy de Zetina, multa dampna, nocumenta, homicidia ac spolia in districtu nostre civitatis antedictae fecissent et comisissent, et continue facere non cessarent, in eo videlicet, quod dicti Olahi venientes ad territorium et districtum dicte nostre civitatis, pascua ipsius civitatis occupando, offensiones, interemtionen, ac alia facta nephanda perpetrarent potentialiter, et minus iuste, in preiudicium ipsorum civium nostrorum non modicum, et desolationem ac destructionem civitatis nostre Sibenicensis antedictae; et quod vos, visis aliis literis nostris prescriptoriis, dictos Olahos de ipso districtu civitatis nostre Sibenicensis non expulissetis, et ipsam penam seu condemnationem pene, iuxta continentias aliarum litterarumstrarum, exinde vobis directarum, ab ipsis Olahis extorquere voluissetis, neque velletis medietatem ipsius pene ipsis Sibenicensibus per ipsos Olachos dare et facere administrare: de quibus nimium admiramur, et admirare non sufficimus, cur littere nostre Maiestatis, de qua ipsum honorem Banatus conservatis apud vos, qua presumptionis audacia parvi penduntur et aspernantur: vobis exinde nimium impropereamus. Unde cum crescente contumacia Olachorum excrescere debeat et pena, volumus